JNDEX LECTIONUM

IN

UNIVERSITATE STUDIORUM JAGELLONICA

A DIE 1. OCTOBRIS ANNO MDCCCXXIV.

AD MEDIUM MENSEM JULII ANNO MDCCCXXV.

INSTITUENDARUM.

CRACOVIAE.
TYPIS UNIVERSITATIS.

Civibus Literarum Studiosis

S. P.

Universitatis Studiorum Jagellonicae Cracoviensis

PRO

RECTORE

SEBASTIANUS GIRTLER

PHIL. ET MED. D. FAC. MED. DECANUS.

Cum Senatu Academico.

Commercia Romanis cum populis exteris non solum ad Orientem et Meridiem in Jndiam usque, sed etiam ad Septentrionem ad Mare Germanicum et forsitan Balticum fuisse duo potissimum nos docent Auctorum classicorum loca, quorum alterum Plinius Major induxit L. XXXVII. c. 2. Jmp. Neronis tempore a Carnunto ad Danubium equitem Romanum ad littus maris siue Baltici in Prussiam, sive Germanici in Frisiam, ut alii volunt, quod nobis perinde est, succini coemendi caussa missum fuisse, ut ludorum spectacula succino coemto Romae ornarentur. Alterum habet Tacitus de moribus Germanorum C. V. 10.: veterem et diu notam et probatam pecuniam serratos bigatosque sive nummos consulares, longo temporum intervallo post, quum jam dudum Jmperatores orbem terrarum regerent, sua aetate in Germania Magna eaque libera in usu fuisse. Hanc ob rem magnam nummorum Romanorum multitudinem non solum in Germania hodierna, in terris, quae nunquam Romanis paruerunt, sed etiam in Prussia et Polonia, quo nunquam Romani penetraverunt, inueniri necesse est. Etiamsi enim nunquam hucusque arma Romana pervenerint, tamen negotiatores mercaturam facientes per commercia intermedia facile in has usque regiones aut pervenire aut pecunias mittere potuerunt. Licet igitur Geographis Romanis Sarmatia diu fere incognita fuerit, tamen melior, quam apud Ptolemaeum Geographum Alexandrinum deprehendimus, Sarmatiae notitia, non nisi per intermedia populorum vicinorum commercia et per bella, quae Jmperator Trajanus in Dacia gesserat, comparari debuit. Non minorem forsitan pecuniae

numerum in nostras regiones postea intulerunt stipendia tum auxiliorum mercede conductorum tum singulorum militum, qui sub signis Romanorum militabant, quae quidem stipendia postea in tributa mutata sunt, quum Romani Jmperii virtus ita labare coepit, ut Jmperatores Romani pacem quotannis fere a barbaris redimerent. De stipendiis Roxolanorum Regi auctis jam in Hadriano apud Aelium Spartianum habemus exemplum C. VI. p. 6. ed. Bip. (a. Christi 120.) At si quis pro Roxolanis Alanos legere maluerit, idem fere nobis est, quippe et Alanos his locis fuisse olim constat. Praeterea et incursiones praedandi caussa a variis vario tempore populis in agros Romanos ad Danubium factae et singulorum militum, qui e longinquissimis regionibus profecti spe lucri capiendi hostibus Romanum imperium invadentibus se adjungebant, excursiones haud exiguam monetae Romanae copiam in nostras quoque regiones conferre potuerunt. Mittimus igitur omnes, qui de nummis Romanorum et Arabum in Prussia utraque inventis scripserunt auctores, ut Bajerum et alios, nec mentionem facimus de Podolia Daciae vicina, ubi longe major nummorum Graecorum et Romanorum multitudo reperiri dicitur, quam apud nos et in Borussia utraque; sufficit nobis vel pauca hic exponere exempla pecuniae Romanae, in Polonia, olim sic dicta Minori ad Vistulae ripas inventae.

NUMMI ARGENTEI.

I. Denarius familiae Juniae, nummus consularis, de quo vid. Rasche Lexicon T. II. P. II. p. 11. 36. *Pars adversa*: Caput Romae galeatum. *Pars aversa*: Castor et Pollux decurrentes hastis armati cum epigraphe: C. JUNII C. F. *et sub his litteris*: ROMA. Repertus fuit hic nummus in hortis Jo. Cantii Krzyżanowski in suburbio Cracoviensi, olimi κτημα pie defuncti ill. Comitis Michaelis Sołtyk. Similem nummum possidet quoque Ambrosius Grabowski eruditus Bibliopola Cracoviensis.

II. Jmperatoris Trajani nummi tres, quorum duo priores in vicinia Cracoviae, posterior non procul a Sandomiria inventus est in villa Kobierzyce. *Pars adv.* JMP. TRAJANO OPTIMO AUG. GER. DAC. *Pars aversa*: *a*) P. M. TRIB. P.... VI. P. P. S. P. Q. R. Mars stans, hastam dextra tenens, — *b*) COS. VI. TR. P.... OPTIMO PRINCIPI. Abundantiae figura. *c*) COS. V. S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI vid. Rasche l. c. V. P. I. 1183.

III. Quartus Trajani nummus repertus prope Sandomiriam. *P. adv.* JMP. CÆS. TRAJANUS AUG. *P. av.* Provinciae subactae sub trophaeo figura. Epigraphe prorsus deleta fuit, ut ne una quidem littera remanserit.

IV. *P. adv.* IMP. OTHO CÆSAR. AUG. TR. P. *P. av.* PONT. MAX. Mulier stolata dextra tres spicas, sinistra cornu copiae tenens, quod abundantiae signum est. Nummus a. 1812. in villa Przęsławice in agro Prossovicensi repertus et ab illustrissimo Comite Joanne Wielopolski Bibliothecae Universitatis Cracoviensis donatus.

V. *P. adv.* M. ANTONINUS AUG. ARMENIACUS *P. av.* VICT. AUG. T. P. XX. COS. III. Figura Victoriae alatae, vid. Eckhel Doctr. num. T. VIII. p. 51. 52. a. Christi 166. A. U. C. 919. Nummus inventus in villa Opatkowice prope Andreoviam in bonis Gen. Dni Błeszyński oblatus nobis a. 1820.

VI. *P. adv.* JMP. CÆS. TRAJANUS ADRIANUS AUG. *P. av.* TR. P. COS. DES. . . . Mulier sedens dextra lauream porrigit, sinistra hastam tenet. Sub muliere epigraphe: . . . TIT. . . (Laetitia). —

VII. *P. adv.* LUCILLÆ AUG. ANTONINI AUG. F. *P. av.* CONCORDIA, vid. Rasche Lex. T. II. P. II. 1843. Omnes hi nummi numero V. VI. VII. reperti fuerunt in Palatinatu Sandomiriensi.

VIII. *P. adv.* JMP. GORDIANUS PIUS FELIX AUG. *P. av.* P. M. TR. P. III. COS. II. P. P. Figura: mulier seminuda sedens dextra ramum tenet.

IX. Duo nummi Faustinae Senioris et unus Antonini Philosophi, omnes tres ita detriti, ut epigraphe nulla supersit.

X. *P. adv.* JMP. HADRIANUS AUG. COS. III. *P. av.* MONETA AUGUSTI. Fig. Juno Moneta. Hos nummos N: IX. et X. habemus e dono Magnif. Dnae Gostkowska.

NUMMI AEREI.

I. tres nummi medii moduli 1.) Nervae Trajani 2.) Domitiani. Eckhel Doctr. Num. T. VIII. 380. ab u. c. 838. post Chr. n. 85. 3) Coloniae Viminiaci Eckhel. II. 89. VII. 351. Omnes tres inventi trans Vistulam non procul Cracovia dono dati nobis e munificentia ejusdem Matronae doctissimae.

II. Nummum Othonis in parte adversa cum facie imperatoris, epigraphe detrita, in parte aversa: circumdat nomen imperatoris S. C. literis majusculis: JMP. CÆS. M. SALVIUS OTHO. Hunc nummum possidet Josephus Jarocki Med. D. vir doctissimus.

III. Jmperatoris M. Aurelii Valerii Probi duo nummi minoris moduli, quales cum varia epigraphe et diversis figuris ultra 32. servat Bibliotheca Universitatis, nuper inventi fuerunt haud procul ab urbe. *P. adv.* JMP. M. AUREL. PROBUS AUG. *P. av.* CLEMENTIA TEMP. —

Accuratior nummorum inventorum indagatio, quo loco et quando reperti fuerint, sine dubio longe majorem eorum exhiberet multitudinem, sed eadem inventae monetae apud nos solet esse, quae alibi, fortuna, ut per Judaeos coemti nummi ad aurifices deveniant, qui per incuriam antiquitatis monetam vetustam ad quemlibet usum liquefaciant et convertant.

Romanae potentiae, quae olim in orbe terrarum dominabatur, apud nos jam pauca tantum et exigua remanserunt monumenta. Sed praestantiora in manibus apud nos quoque ingenii literarum et artium populi Romani, auctorum classicorum versantur opera, splendida virtutis documenta, ingenii excolendi celeberrima exempla. His insistamus sedulo, juvenes ornatissimi, nam, ut monet Quintilianus: praeceptum est, ne quod cuique discendum est, sero incipiat. Memineritis quoque eorum rogatos vos esse volumus, quae Seneca Tragicus cecinit: *dediscit animus sero, quod didicit diu.* Quod si feceritis, debitum e studiis vestris fructum certo certius percipietis. —

ORDO THEOLOGORUM.

Nicolaus Janowski S. Theol. Dr. Moral. et Pastoral. et Eloquent. Sacrae P. P. O. Can. Ecclesiae Cath. Crac. h. t. Facult. Theol. Decanus.

Horis pomerid. 1—2, diebus quinis per hebdomadem, scilicet die Lunae, Martis, Mercurii, Veneris et Saturni, tradet Theologiam Moralem ad mentem Ecclesiae Romanae Catholicae. Idem praeleget etiam Pastoralem Theologiam et praecepta Eloquentiae sacrae docebit.

Florianus Kudrewicz. Ord. S. Basil. M. S. Theol. D. Sacrae Script. Prof. P. O. Reipubl. Crac. Senator.

Horis matutinis 9—10. exceptis diebus Jovis, quotidie Archaeologiam, Hermeneuticam generalem et specialem Novi Testamenti tradet, demum ad explicandum Evangelium secundum Lucam e textu originali accedet.

Matthaeus Kozłowski Ord. Praed. S. Theol. Dr. Hist. Eccles. Prof. P. O.

Hora matutina 10—11, quotidie, die Jovis excepto, exponet Historiam Ecclesiasticam, methodo Alberi.

Blasius Helbinowski S. Theol. Dr. Eccl. Cath. Crac. Can. Theol. Dogm. Prof. P. O.

A semi-hora 8 ad semi-horam 9. diebus consuetis tradet Dogmaticam.

ORDO JURIS CONSULTORUM.

Adamus Krzyżanowski J. U. D. P. P. O. Vices Decani gerens.

Hora $8\frac{1}{2}$—10 quotidie, diebus festis exceptis, Historiam Juris antiqui Polonici, deinde Codicem Civilem in Regno Poloniae vigentem, ratione Codicis Civilis Austriaci et legum antiquarum Polonicarum habita, tum Codicem mercantilem, qui in Regno Poloniae obtinet, cum applicatione legum, quae apud gentes vicinas in usu sunt, explicabit.

Augustinus Boduszyński J. U. D. P. P. O.

Hora pomeridiana 5ta ad $6\frac{1}{2}$ Historiam Juris Romani, Institutiones Justinianeas cum provocatione ad Pandectas et Codicem Repetitae Praelectionis, tandem Jus feudale tradet.

Horis matutinis a 10 ad undecimam cum dimidia, quotidie, exceptis diebus festis, semestri hyemali, Codicem judiciarium Civilem in Regno Poloniae vigentem explicabit, et quae e Codice Civili Austriaco judiciario et legibus antiquis Polonicis huc pertinent, si-

Aloysius Estreicher **Phil.** *et Med. D.* **P. P. O.**

Hor. matut. 10—11 quotidie exponet Zoologiam per semestre hyemale, ducibus Cuvier, Ocken, Jlliger, Lamark et aliis, qui hac de re tractarunt.

Hor. matut. 6—8 Botanicen tradet per semestre aestivum.

Hor. pomerid. 2—3 Diebus Martis et Jovis tradet doctrinam de generis humani varietate nativa per semestre hyemale.

Hor. pomerid. 6—8 exercitationes botanicas instituet et ad Botanicae practicae usum manu ducet, atque Dendrologiae rudimenta exponet per semestre aestivum.

Carolus Hube Phil. D. Matheseos Sublimioris **P. P. O.**

Hor. matut. 8—9 quotidie, exceptis diebus Saturni, tradet Analysim finitorum, calculum analytico-trigonometricum, Trigonometriam sphericam et Geometriam Analyticam, praecipue theoriam superficierum secundi gradus, duce Hachette.

Hor. matut. 9—10 diebus Lunae, Mercurii et Veneris, calculum differentialem et integralem, cum applicatione speciali ad Mechanicam sublimiorem docebit. Jdem horis matut. 9—10 diebus Martis Jovis et Saturni Astronomiam theoreticam et practicam tradet.

Josephus Markowski **Phil.** *et* **Med.** *D. Chemiae* **P. P. O.**

Hor. 11—12 quotidie, exceptis festis, Chemiam docebit.

Hor. 9—11 diebus Solis Mineralogiam tradet.

Romanus Markiewicz Phil. D. **P. P. O.**

Hor. matut. $8\frac{1}{2}$—10 quater in hebdomade, die vero Martis ac Saturni 9—10 Physicam experimentalem ac theoreticam ad normam sui opusculi in usum Lyceorum editi, addens huic ex tractatu Physices Biotii addenda ampliora de fluidis expansibilibus et incoercibilibus, ut de annulis coloratis, polarisatione fixa, mobili etc. ad finem vero anni doctrinam de Electro-et Thermo-magnetismo, e propriis schedis praeleget.

Franciscus Szopowicz Phil. D. Mathes. Jnfer. P. O. P. Soc. Philom. Varsov. Socius.

Hor. matut. $7\frac{1}{2}$— ad $8\frac{1}{2}$ semestri hyemali, diebus Lunae, Mercurii, Jovis, Veneris, diebus autem Martis et Saturni ab hora 8—9. semestri vero aestivo a 7—$8\frac{1}{2}$ diebus Lunae, Mercurii, Jovis et Veneris, jam autem diebus Martis et Saturni ab 8—9 Mathesim inferiorem, id est Arithmeticam, Algebram, Geometriam elementarem cum analytica explicabit, duce Lacroix.

Praterea Mensibus Majo, Junio et Julio, bis de septimana Geodosiam docebit theoreticam, bis autem ad praxim ejusdem Auditores adducet.

Vincentius Karczewski Adjunctus Astronomiae.

Diebus Lunae, Mercurii et Veneris ab h. 3 ad 4tam pomeridie inferiorem Astronomiam tradet.

II.) FACULTATIS LITERARIAE.

Paulus Czaykowski Phil. D. Literaturae Polonicae et comparativae P. P. O. h. t. Facultatis Phil. Literariae Decanus.

Hor. matut. 10—11 traditis praeceptis Eloquentiae et Poeseos, per Classicorum Auctorum exempla illustratis, Auditores ad Exercitia Linguae Patriae in utroque orationis genere ducet.

Julianus Czermiński Phil. D. Historiae P. P. O.

Hor. matut. 11—12 quotidie, diebus Veneris et Saturni autem a 5—6 pomerid. enarrabit I. historiam antiquiorem et recentiorem. II. Geographiam Physicam et Politicam. III. docebi artem criticam, quae ad legendos historicos est necessaria. IV. Observationes in historiam Universalem duce Ferrando (Esprit de l'Histoire) tradet.

Georgius Samuel Bandtkie Phil. D. Bibliographiae P. P. O. et Bibliothecarius.

Hor. pomerid. 1½ ad 3 die Mercurii, Vener. et Saturni, Bibliographiam profitebitur.

Collegium styli cultioris duce Beckio (Artis latine scribendi praecepta Lipsiae 1802) et disputatoria philologica et historica cum selectis juvenibus instituet diebus Martis, Jovis et Veneris hor. 7½—9.

Jdem semestri aestivo, horis definiendis, comparationem dialectorum Slavicarum, e suppelectili sua qualicunqne literaria Slavica, juvenibus vernacularum linguarum philomathibus ostendere conabitur.

Hermannus Schugt Phil. D. Linguae Graecae P. O. P.

Hor. pomerid. 2—3 diebus Lunae, Mercurii et Veneris explicabit Lucani Pharsaliam.

Horis iisdem, diebus Martis et Saturni, Sophoclis Antigonen.

Horis pomerid. 4—5. Styli cultioris linguae Graecae praecepta profectioribus tradet. Semestri aestivo enarrabit Historiam Literarum Romanarum.

Josephus Jankowski J. U. et Phil. D. P. P. O.

Hor. pomerid. 3—4 docebit Philosophiam theoret. et practicam diebus Martis, Mercurii, Veneris et Saturni. Exercitationes vero paedagogicas instituet die Lunae hora 3—4. Diebus Martis et Saturni mane hora 7—8 Historiam Philosophiae.

Guilelmus Münnich Phil. D. Linguar. Oriental. P. P. O.

Linguam Latinam una cum linguis orientalibus docebit diebus Lunae, Mercurii, et Veneris hora 12—1½, Diebus Martis, Jovis et Saturni hora 11—12½.

Jdem semestri aestivo Antiquitates Romanas explicabit.

Lectorium in Bibliotheca publica Univ. Cracov. patebit hor. pomerid. 3—4. hyemali, 3—5 aestivo semestri diebus Lunae, Martis, et Jovis. Hospitibus vero extraneis, qui Bibliothecam, Musea, speculam Astronomicam, et Hortum Botanicum invisere cupiunt,

nulla hora praefinita est, dummodo tempus Praelectionibus sacrum Bibliothecario et Praefectis Museorum, Mineralogici, Zoologici et Horti Botan. condonare velint. Quovis tempore de commoda hora certiores facti, curiosis hospitibus nunquam deerunt. Museum Physicum patebit curiosis, qui adesse dignabuntur, hora 10 matutina, finita praelectione.

Docebunt Artem pictoriam *Jos. Peszke* P. P. O. et *Jos. Brodowski* P. P. O. semestri brumali hor. mat. 10—12, jam vero aestivo 8—12. Artem Sculptoriam *Jos. Szmelcer* P. P. O. ab hora 11—12 docebit. Linguam anglicam tradet *Hermanus Schugt* 3—4. Germanicam *Ludovicus Teichmann* hor. pom. 4—5. Jtalicam *Stephanus Laberi* 5—6. *Andreas Ledru* Linguam Gallicam docebit quater de septimana diebus Lunae, Mercurii, Veneris et Saturni a 12—1.

Alexander Sollowiewicz tradet linguam Rossicam, quater de hebdomade ab hora 4—5 post meridiem.

Artem saltandi *Petrus Couder* quater per hebdomadem hor. pomerid.; Artem equitandi *Theodorus Cogen* pomer. 2—3.
